



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 15. Seditio plebis Moguntinæ, & Coloniensis ob Lutheri hæresin.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI.
A. C. 1525.

§. XV.

Seditio plebis Moguntinæ, & Coloniensis ob Lutheri hæresin.

*Cochl. l. cit.
pag. 126.*

Postquam Seditiosi Francofordienses descriptos suos quadraginta septem articulos ad Moguntinos & Colonienses populos transmiserant, hi quoque illorum exemplum sequi statuebant, summa arrogantia palam hæc decernentes. I. De cetero potestas eligendi Pastores, & Ministros, qui verbum Dei prædicarent, penes populum sit. II. Omnes Clerici cunctis subjiciantur oneribus civilibus, vigiliis, custodiis, vestigalibus, atque exactionibus. III. Nulli Monachi, ac Religiosi Mendicantes amplius permittantur prædicare, aut confessiones excipere. IV. Imposterum neque Monachus, neque Monialis ulla in eorum Monasteria recipiatur. V. Omnes, qui jam in illis essent, exire possent, quandocunque vellent. VI. Omnes census, de quibus non extant certæ literæ, & sigilla, aboleantur, & possessoris nomine nemo amplius obstrictus sit. VII. Ecclesiastica Beneficia non exteris, aut Aulicis, sed solis Civium Filiis conferantur. VIII. Omnes ex Testamentis donationes, pia legata, aliæque eleemosinæ, necnon & census ac decimæ in communem civitatem

stam pro sustentandis pauperibus reponantur, abolitis omnibus omnino Anniversariis, Fraternitatibus, & mortuorum exequiis. Ejusmodi ergo articulos, ut firmarent, ac eorum observationem urgerent, seditiosi Moguntini in Clerum concitarunt plebem, quæ in die S. Marci peracta solemni supplicatione, portas urbis clausit, ex carceribus tres Lutheranos Presbyteros vi eripuit, ac extrema quæque Clericis comminata est, nisi hosce articulos acceptarent: Cum ergo toto triduo portæ urbis essent occlusæ, ac rebellis populus ubique armatus tumultuaretur, Laurentius Truchsesius Decanus per summam ignaviam nomine Cleri pacem iniquissimis conditionibus, quas seditiosa plebs præscripserat, acceptavit. Ast paulopost omnes hæc pactiones ut invalidæ fuerunt declaratæ, ipsique seditiosi urbe ejecti, ac perpetuo proscripti.

Sæcul. XVI.
A C 1525.

Non multo post tempore in feriis Pentecostes Colonienses quoque opifices insurgabant, sumptisque armis per solidos quatuordecim dies tumultuabantur, donec tandem Archiepiscopus S. R. I. Elector per suos a consiliis Ministros quidem seditiosos componeret, non tamen sine gravi totius Cleri dispendio, cui multæ immunitates ac privilegia in sex

B 4

annos

Sæcul. XVI
A.C. 1525
 annos per ejusmodi pacem fuerunt ad-
 empta. Ceterum ex seditiosorum Du-
 cibus paulo post a Senatu comprehen-
 tres, ac capite plexi publice ceteris in
 exemplum pœnas dederunt. Nec un-
 quam Lutherani ullis artibus impetrare
 poterant, ut ibidem novum suum Evan-
 gelium publice prædicare eis liceret:
 In plerisque tamen aliis civitatibus lon-
 ge minor erat fidei constantia, exce-
 ptis tamen Augustissimæ Domus Au-
 striacæ hæreditariis ditionibus, in qui-
 bus semper antiqua Religio illibata con-
 servabatur.

§. XVI.

*Censura Parisiensis Facultatis Theolo-
 gicæ contra Amadæum Mesgret.*

Cum interea Lutheranae hæresis vene-
 num longe lateque sese in Germa-
 nia diffunderet, Parisina Facultas Theo-
 logica aliæque universitates nihil non
 agebant, ut omnem erroris scintillam
 vix de periculis admonitæ protinus ex-
 tinguerent: Tum enim Amadæus Mes-
 gret ex Ordine Fratrum Prædicatorum
 Theologiæ Doctor, cum Lugduni ac
 Gratianopoli ad populum diceret, plu-
 res divulgabat errores. Hac re com-
 perta Lugdunensis Archiepiscopus reum
 comprehendi, atque in eum iudicii acta
 instrui